



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Prooemium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

I

# CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

DE

## MATRIMONII SACRAMENTO.

PARS TERTIA.

### Prooemium.



Optimum inter Sacramenta locum obtinet Matrimonium, non quod efficacitate, aut dignitate sit aliis inferius, cum uberem in conjuges gratiam derivet; sed forte quia reliqua ad solam animorum consecrationem instituta sunt, hoc vero ad ipsam hominum propagationem, & ad sanctificationem animorum simul, & corporum. Est tamen præcipuum Christianæ fidei Mysteriorum symbolum, ac repræsentatio; ut propterea ab Apostolo ad Ephes. 5. dicatur: *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia*: In primis enim signum est castissimi fœderis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Oseas Propheta dixit; eique veluti dotis nomine Cœlestia Charismata, atque ipsum donorum, ac bonorum omnium Auctorem Spiritum Sanctum largitur: Est etiam symbolum mystici illius Conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam sanguine suo mundatam, ac divinis dotibus gloriosam sibi sponsam conjunxit: Significat insuper unionem, qua Verbum naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulavit: Ac demum Tertull. lib. 1. de Monogam. cap. 1. dixit, Matrimonium Divinæ Trinitatis, & Unitatis adumbrationem esse: Sicut enim in Deo Unitas est in multiplicitate Personarum; sic quodammodo in Matri-

Pars VII.

A mo-

monio sua unitas, & multiplicitas habetur. Genes. enim 2. dicitur:  
*Erunt duo in carne una.*

Annus integer Tractatui de Matrimonio in nostris Scholis addicitur, quippe quod in usu fidelium frequentissimum, & uberimis scatet doctrinis, quæ facem præferunt animo per aspera, & lubrica ambulanti, ne turpissime labatur.

Nos octo quæstionibus materiam universam complectemur, agentes in prima de Sponsalibus universim, quippe quæ viam sterunt ad Matrimonium. In secunda seorsim discutiemus causas, ob quas possint Sponsalia dissolvi. In tertia agemus de Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Unitate, & Indissolubilitate. In quarta de causa efficiente Matrimonii, videlicet de consensu, præsertim ficto, coacto, clandestino, & conditionato. In quinta de Impedimentis Matrimonii. In sexta de Dispensationibus. In septima de Usu, & debito conjugali; ubi plurima ad sextum præceptum spectantia enodabimus. In ultima demum de Divortio.